Pomorski Stanislaus Quaestio de libertate matrimonii.

~~2609 Preavo~~.

# QVÆSTIO
## DE
# Libertate Matrimonij.

*Ad c. Cum locum.*

EXT: DE SPONS. & MATRIMONIIS.

*Junct. L. Nuptiæ: ff*

## De Ritu Nuptiarum.

*QVAM*

M. STANISLAVS POMORSKI I. V. B. Senior Contubernij Iuristarum ad disputandum proponet.

In Collegio DD. Iurisperitorum, Anno Domini, 1619. Die Mensis Hora

*Permissu M. D. Rectoris.*

CRACOVIÆ,
Ex Officina Matthiæ Andreouiensis.

dd.

# IN ARMA
Admodum R̄ndi & Mag. Dn̄i Martini Karnkowski.



*PEctoris est niuei documentum hic inclytus Agnus*
*Candoris placidi quicquid & esse potest.*
*Attamen istius vires ne spreueris agni,*
*Euenit, huic agno cedat vt ipse Leo.*

*Admod: Reuer: & Magnifico Domino,*

# D. MARTINO KARNKOWSKI,

## Canonico Crac. Decano Gneznensi, Custodi Wratislauien. &c. &c.

Domino & Mœcenati Obseruandissimo.

*MAGNVS QVONDAM Romanorum Rex & Auctor Romulus, Admodum Reuerende Domine, initio nascentis illius totius orbis Imperij, hanc primam omnium legem tulisse fertur, Ne quisquam in numerum Romanorum adoptaretur, nisi prius volas manuum publico Magistratui videndas offerret; quæ si essent laborum callo induratæ, ciuitate donaretur; sin minus, reijceretur. Quod equidem tàm præstans & tàm illustre Victoris populi institutũ, dum mecum ipse perpendo; renatum hodie in Repub: nostra litteraria conspicio. Dum enim prudentissimus Academiæ Senatus quantum Reipub: suæ intersit, quem & qualem Ciuem Academicum habeat, peruideret, primam Roformationis Academicæ legem sanctè & religiosè in posterum seruandam indixit. Ne*

quisquam in ordinem Ciuium & Collegia suæ Academiæ veniat, nisi prius singularem eruditionem suam omnium oculis videndam publicè exhiberet. Prudenti sanè consilio, nam si verum est, quod Isidorus, Tria, inquit, in mundo sunt ridicula. Speculator cæcus, præco mutus, pastor remissus. Quid Academicus indoctus? quid Doctor imperitus? Monstrum certè, aut Argus ille oculis priuatus. Magnum siquidem professoris munus est, magna virtutis & eruditionis lex ei imposita, si quam personam sustineat, quo ipse fungatur officio consideret. Sed tunc is es inquies? Admódum Reuerende Domine; qui id muneris & honoris tibi merito sumas? Equidem nunquam me tanti feci, vt plus æquo mihi tribuam; Sed cum ratio studiorum meorum à multis annis in Imperatrice Sciētia suscepta, cùm locus cum deniq; Ius meum Quæsitum in Ordinem Augustissimi Collegii Clarissimorum DD. Iurisprudentum me vocat, legē Academiæ ecce compleo; prudenti Reformationis, & omnium Academicorum Ordinum decreto pareo: & vt bonus filius Matris calculum & iudicium non exhorrescens, Quæstionem hanc ex corpore Iuris diuini depromptam in publicun fero. Porrò vt hæderæ robustas arbores quærunt, quibus circumplicatæ vnà cum iisdem in altum assurgunt, his destitutæ steriles marcescunt. Ita & ego Magnum & singularem Patronum, cuius authoritate suffultus, nihil non arduum magno animo aggrediar,

*diar, quærendum mihi esse duxi. Atq; hinc inde circumspiciens, quem alium præter Te (magnum Ecclesiæ Dei, luminare priscæ Nobilitatis singulare exemplar) Reuerende Admodum Domine, habeam non inuenio, vnus quippe (absit verbo inuidia) ille es, qui excelso & heroico præditus animo, bona ingenia amas, rectos & ad præclara assurgentes animos non confundis, sed foues: non deprimis, sed attollis; non reiicis, sed Tua liberalitate subleuas, vt pote quem ad templum Honoris non prensatio Curialium, non ambitio honorum; sed spectata Maiorum Tuorum virtus, virtus imprimis & eruditio prouexit, Te te Musa mea Patronum & Mæcenatem compellat. Tibi nominiq; Tuo lubens & libens se deuouet. Accipe igitur iucundo & beneuolo animo exiguas hasce vigiliarum mearum de Matrimonij libertate lucubrationes. Accipe animum vltrò ac sponte Tibi se liberaliter mancipantem, & cum mea studia, tum meipsum eorum numero, quorum bonos conatus augere & promouere soles, insere & annumera, rogo. Vale diu felix Admodum Reuerende Domine, Dei Ecclesiæ, Poloniæ Reipub. Crac. Academiæ, præsidium. Datum è Contubernio Iurist. 1. Octob. Anno 1619.*

*Admodum R. D. V.*
*æternum deuotus.*

M. Stanislaus Pomorski Contubernii
Iurisp. Senior.

# QVÆSTIO

*Ad c. Cum locum.*

EXT: DE SPONSALIBVS & MATRIMONIIS.

*Juncta L. Nuptiæ. ff*

## DE RITV NVPTIARVM.

V. Metus cadens in conſtantem Virum, niſi vel culpa contrahentis euenerit, vel poſtmodum purgatus fuerit; nomenue metus grauis non mereatur; irritet contractum Matrimonij necne?

Con-

## Conclusio Prima.

Metus cadens in Virum constantem, seu metus grauis, si alicui inijciatur ad extorquendum Matrimonium, reddit illud irritum.

## Corollaria.

1. *Nomine Viri constantis non solùm Virũ, sed etiam Mulierem comprehendimus; Credimus tamen minorem metum ad cogendas mulieres sufficere.*

2. *Foro exteriori grauem metũ incutere solent, Mors, Verbera, amißio status & honoris & cætera his similia; Foro autem interiori multò plura reperiuntur.*

3. *De Excommunicatione vtrum illa metum grauem incutere valeat, nec ne? Problema esto.*

4. *Applicatio illorum, quorum metum grauem prætex imus talis debet esse, vt contrahens Matrimonium potiùs iuxta Regulas Prudentiæ cõmunis, debeat eligere simulationem Matrimonij, quam incidere in aliquod eorum.*

5. Non

*5. Non solùm si metuimus personæ nostræ grauis metus dicitur: sed etiam cum metuimus coniunctis nobis, & quidem tantò grauior, quantò persona proximior est.*

# Conclusio II.

Si metus ex iusta causa infertur non reddit irritum Matrimonium.

# Corollaria.

*1. Metus iustus incutitur tùm temporis, cùm malum quod minamur iustè inferre possumus, & ille cui minamur meritò illud pati debet.*

*2. Quod si quis minitetur malum, vt hoc pacto metum incutiat, quamuis non habeat animum inferendi malum, si illud malum commeruit contrahens, non potest retractare Matrimonium, intuitu illius euitandi contractum.*

*3. Dato statuto stupratorem vel subire debere pænam mortis, vel ducere stupratā, aut eam dotare, magis poterit stuprator cogi ad Matrimonium Vigore talis Statuti, si eam dotare nolit, quam alias quisquam ex alio metu, quamuis iusto, non*

*sto, non tamen ita propè spectante ad Matrimonium.*

*4. Tolerari potest praxis: vt Iudices non planè liberent stupratores carceratos, qui dato statuto possunt cogi vel ad Matrimonium contrahendum, vel ad dotem dandam pro conditione stupratæ donec contrahant.*

*5. Qui promisit aliquam ducere, & stante hac promissione stuprauit, potest omnibus remedijs cogi ad contrahendum: idq́ʒ stante etiam sententia contraria nostræ conclusioni.*

## Conclusio III.

Non est nouum Matrimonium metu graui contractum, ex postfacto ita validari, ac si liberè vndequaq; cōtractum esset.

## Corollaria.

*1. Matrimonium metu contractum validatur per subsequentem copulam.*

*2. Quod adeò verum est, vt non credamus posse quenquam intuitu copulæ, metum grauem prætexere.*

*3. Ex*

*3. Ex diutiua cohabitatione præſumitur metus purgatus, quanti autem temporis cohabitatio eſſe debeat, arbitrio Iudicis relinquitur.*

*4. Non deſunt alij actus ſimiles, qui vt metum purgatum indicant; ita poſtquam editi fuerint, prætextu metus matrimonium non poterit reſcindi.*

*5. Juramento firmari Matrimonium metu contractum abſolutè non credimus.*

# Concluſio IV.

Metus minor quàm is, qui cadit in conſtantem virùm non ſufficit ad diſſolutionem Matrimonij.

## Corollaria.

*1. Non credimus etiam in foro Conſcientiæ Matrimonium per leuem metum initum inualidum eſſe.*

*2. Metus reuerentialis vt non poteſt dici grauis, ita non ſufficit ad diſſolutionem Matrimonij, niſi quid tertium intercedat.*

*3. Reſpectu quarum perſonarum dicatur*

*Metus*

*Metus reuerentialis, cum perplexum ſit explicare, arbitrio Iudicis remitto.*

4. *Preces importunæ non faciunt quicquam ad coactionem, niſi forte cum eis connectatur metus & reuerentia.*

5. *Blanditias verò purè in ſe acceptas, potius ad dolum, quàm ad metum referimus, nihilq; facere credimus ad diſſolutionem Matrimonij*

## Concluſio V.

Metus cadens in conſtantem virum Matrimonium non irritabile, ſed irritum ipſo Iure facit.

## Corollaria.

1. *An Iure naturali, an poſitiuo Matrimonium coactum ſit irritum. Problema facio.*

2. *In cæteris contractibus plerisq; quamuis coacta voluntas ſit voluntas, & contractus metu initi non ſint nulli, ipſo iure, ſed annullandi: hoc tamen in Matrimonio aliter ſe habere credimus.*

3. *Matrimonium non tantum inter fideles, ſed etiam inter infideles, ſi metu contrahatur, irritum credimus.*

1. *Si*

*4. Si alter ex contrahentibus libere consensit, alter per metũ, neutrobiq; obligatio nascitur.*

*5. Partes cognoscendi de talibus Matrimonijs, & declarandi. Num Matrimonia sunt metu graui contracta, nec ne? per consequens valida, nec ne? sartas & tectas Iudicibus fori exterioris relinquimus.*



Sub felicibus auspicijs Admodum R^ndi P. ac Magnifici Domini, M. IACOBI IANIDLOVII, I. V. Doctoris & Professoris, Protonotarij Apostol: Canonici Sądecen. Vniuersitatis Cracouien. Procancellarij, ac Generalis RECTORIS.